

doctissimi, cum publice ex me, quantum profecissem, sciscitati essent, haud imparem me muneri magistri gymnasialis declaraverunt. Isdem fere temporibus curas criticas in duos Aristotelis Politicorum locos quasi primitias eruditionis in lucem edidi una cum commentationibus illis philologicis, quas sodales seminarii conventui philologorum Monachii tum congregatorum offerebant. Alterum deinde examen, quod speciale vocatur, duobus annis post quam ex doctorum umbraculis ad suscipiendum munus publici puerorum magistri prodieram non sine laude exantlavi.

Scripseram enim tum commentatiunculam, qua Fluviorum in Hesiodi Theogonia catalogi (Hes. Theog. verss. 337—345) originem certis temporum finibus circumscribere ac determinare conabar.

Verum huic operi admodum difficili et perquam lubrico defuerant quodammodo vires et consilium. Nihilominus viri doctissimi opusculum examinatum ita certe comprobaverunt, ut dicerent me etsi a dubiis multifariam principiis orsum esse parumque certa de catalogi illius origine statuisset, tamen ea quae ad ipsam rem investigandam pertinerent, cum diligentia explicasse totamque quaestionem ratione ac via persecutum esse.

At ego quamquam probatus ita iudicum sententiis non tamen sufficere eam laudem ad appetendam doctoris quoque academici dignitatem arbitratus retinere ad tempus libellum meum totamque rem inde a primis elementis denuo pervestigare in animum induxi. Sed quo magis in opere desudavi, eo magis in dies intellexi nihil de catalogi origine certius statui posse nisi id quod Muetzellius quoque dudum intellexerat (de emendatione Theogoniae Hesiodaeae, Lips. 1833) iam Pisistrati temporibus eosdem illos, quos nunc quoque legimus, inter ceteros Theogoniae versus obviam fuisse.

Non caruit tamen prorsus, ut opinor, labor meus mercede ac fructu. Nam dum in examinandis illis Fluviis ad Homerum multo magis quam ad ipsum Hesiodum recurro, alius isque in Odyssea occurrit mihi locus, de quo cum alii aliter adhuc iudicaverint et hodie quoque, ut intellego, non omnes idem sentiant, accuratius disserere non alienum aut prorsus inutile mihi videtur.

Quam novam lucubrationem iudicio doctissimorum professorum illustrissimique ordinis philologorum Monacensis nunc committere audeo.

Quibus autem in pertractando opere usus sim libris et adminiculis, quippe cum in singulis libelli paginis, quacumque opus